



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. Quid, & quotuplex sit citatio, & quænam ad illius substantiam  
requirantur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

recusationis specificè exprimenda sit in libello recusationis, & coram electis arbitris probanda, ad multas fraudes caverendas. Sunt autem plures causæ ad recusandum judicem in jure approbatæ; si est v.g. probabilis suspicio de minus reæ affectione judicis erga partem, vel de impietate illius, si judex cum parte litigante inimicitias gerat, aut cum parte litigante judex etiam judiciale aliquam controversiam habeat; si sanguine, vel etiam amicitia sit valde conjunctus parti litiganti; vel si Dominus adversarii, cum quo lis est, vel sit illius familiaris, socius, patronus, affinis, &c. vel similem controversiam cum alio in alio judicio judex habeat. Est autem hæc judicis recusatio ante litis contestationem proponenda, cum sit exceptio dilatoria, nisi post litis contestationem nova causa recusationis superveniat, aut juret pars recusans, ad suam primum notitiam post litis contestationem causam illam pervenisse.

## §. VI.

*Quis, & qualiter de causa recusationis allegata cognoscere possit, ac debet, & quis sit effectus recusationis?*

Judex si ut suspectus reculetur, non potest ipse in causa recusationis cognoscere (qui enim in principali causa suspectus est, multò magis talis habetur in causa accessoria) nisi notoriè & indubitate frivola sit, sed debet causa principalis cognoscenda remitti ad Superiorum, vel alii personæ idoneæ & non suspectæ committi ex consensu partium, vel ex communī utriusque partis consensu arbitrii eligi debent, qui de causa tali recusa-

Pirking, Compend.

tionis cognoscant. *Sufficiens 29. De off. & potest. jud. deleg. &c. Cum speciali 61. de appell.* Interim tamen per recusationem talern manet suspensa recusati judicis jurisdictio, & in causa coram se prolatâ ad ulteriorem non potest procedere.

## S E C T I O VII.

*De citatione ad forum, seu tribunal competens.*

## §. I.

*Quid, & quoniam sit citatio, & quanam ad illius substantiam requirantur?*

Citatio est actus judicialis, quo is, quem in judicio sisti oportet, judicis mandato legitimè vocatur in judicium, juris experiundi causā, quæ usq[ue] e adeo necessaria est ad valorem judicii, ut actus judicarius contra citatum celebratus regulariter nullus sit ipso jure, cum citatio ad defensionem spectet, quæ est juris naturalis; & hinc recte etiam dicitur judicium à citatione incipere. Dividitur autem citatio in publicam & privata; publica fit vel per proclamationem, seu vocem præconis, per tubam, vel campanam, per edictum publicum, valvas Ecclesiæ, Curiarum, vel portarum Civitatis affixum, qui ramen modus citandi non semper & in omni casu permisus est. Privata citatio est, quæ fit privatim in personam citandi; & hæc duplex est, verbalis alia, quando Reus per nuntium vivâ voce coram, & in faciem in judicium vocatur; vel alterum ad domum solitæ habitationis, ubi reperiti non potest,

Kk

test,

test, clatā adē voce citatur, ut vicini etiam de ea testari possint, vel quando pro conditione personae per litteras submissas citatur. Alia realis est, quæ fit per captivitatem & apprehensionem personæ, ut ad Iudicem adducatur, quæ realis citatio in criminalibus potissimum locum habet. Alia autem citatio simplex dicitur, quæ citatum non prius contumacem facit, quam ter facta fuerit, ita tamen ut inter singula citationum edicta certum & justum temporis intervallum, decem scilicet dies intereesserint. Alia dicitur peremptoria, quæ pro tribus distinctis habetur, si in citatione adjiciatur terminus, peremptoriæ, & tantum temporis continet, quantum aliae tres citationes diverso tempore factæ includerent. Et demum citatio alia juris est, quomodo ipsum jus statuit tempus, intra quod se fuisse quis debeat (quæ citatio, etiam si jus terminum peremptorium non habeat, semper tamen peremptoria est) alia hominis, cum quis Iudicis mandato in jus vocatur.

Requiritur autem ad legitimam citationem primum, ut exprimatur nomen & cognomen Iudicis citantis, ut citatus noscere possit, competens ille Judex sit, vel non sit; Delegatus sit, qui una cum citatione copiam suæ delegationis transmittere debet, an Ordinarius. Secundum requiritur, ut exprimatur Rei, qui citatur nomen, & cognomen, vel saltem universitas illa, quæ citatur, ut noverit citandus, quod ad ipsum citatio pertineat. Tertius requiritur, ut contineat nomen & cognomen Actoris, ut noverit Reus non ex officio Iudicis, sed ad instantiam fieri citationem. Quartus requiritur, ut in

citatione exprimatur causa, saltemque, ob quam quis citatur, ut instruatur scilicet reus, super quo conveniat, & deliberare possit, utrum litigatum sit. Quintus requiritur, ut locus judiciale tribunal apponatur (nisi aliunde constat de tali loco) ut sciat scilicet citatus, in territorii fines egrediatur Iudex, & rursus sibi locus sit, ad quem citatur. Sextus denique requiritur, ut dies certus terminus congruus comparendi in citatione exprimatur, ut noverit citatus, & dies ad quam citatur, sit iuridica &c.

## §. II.

*Quot, & quæ sint partes citationis?*

**Q**uilibet citatio tres partes habet, Notario diligenter actis litis intendendas. Primum mandatum judicis, hoc quo non valet citatio. Secundo ut notarius citationem sibi demandatam exequatur in faciem citandi, si reperiit posse, vel ad illus domum, si aliter reperi non possit. Tertiū ut nuntius faciat citationis factæ relationem Iudici, qui Notario in acta referri debeat, ut citatione facta constet, vel si Iudex præfens non adsit, soli Notario, citationem etiam creditur, & plena fideliter habetur præsertim in civilibus.

## §. III.

*A quo Iudice citatio fieri debet, & qui citari debeant, & qui finis, & effectus citationis?*

**Q**uilibet Judex competens, si Ordinarius ille sit, sive delegatus judicatae potest, cum sine citatione judecatur.